



**MUSICA PRACTICA,**  
**SIVE, ARTIS CANENDI RATIO,**  
usui hodierno ita accommodata, ut priscorum quibusdam documentis maximè huc facientibus tanquam veris fixisq; fundamentis innitens, tædiosas de Mutatione, aliisq; nonnullis rebus haut adeò necessarias præceptiones tollendo, faciliorem canendi suppeditet modum, rerum, interim fastigia brevissimè definiens.

**M**USICA Practica (Musica à *μουσική*, quod Latinis cantus dicitur; Practica à *πράξις*, quod à *πράττωμαι*, operor, descendit, Latinis actionem denotante, quæ post se opus non relinquit, unde Musica Practica dici potest operosa Musica, absq; tamen effectu) est ex tribus Musicæ partibus una, quæ Melôdiam ex certis symbolis artificiosè decantare docet. Hæc definitio duo, velut ea in quibus cardo artis hujus vertitur, nobis excutienda præbet, Melodiam & Symbola.

Melodia (ex *ὠδή*, canticum, cantio, cantilena: & *μέλος*, carmen, composita vox est, & sonat, ac si dicas, Modulatio carminis, putà, musici) est sonorum aliorum post alios pro ratione *ἡ ἀρσενωσὶ καὶ θέσει* (hoc est, elevationis & depressionis) intervallorum se subsequentium affectio, Harmoniæ speciem, videlicet unicam vocem constituens, quæ decantata sensum suò modò tangit, ut affectus in homine non planè amuso creati sentiantur.

### R E G U L A.

Melodia dicitur carmen ex intervallis sonorum, non ex concentibus, harmonicum, quia quædam pars est & species Harmoniæ ex concentuum syntaxi orta.

Melo-